

**Glandularum quarundam, nuper detectarum, ductuumque earum excretorum, descriptio, cum figuris: cui accessit # ... etc / A Gulielmo Cowper.**

### **Contributors**

Cowper, William, 1666-1709.

### **Publication/Creation**

Londini : Impensis S. Smith & B. Walford, 1702.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/gxqb4ztj>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>




19,000/B



E. BARCLAY-SMITH, M.D.





Digitized by the Internet Archive  
in 2018 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30547982>

46088

E. Barclay Smith

GLANDULARUM  
Quarundam, nuper Detectarum,  
DUCTUUMQUE  
EARUM  
EXCRETORIORUM,  
DESCRIPTIO,  
CUM  
FIGURIS:

Cui Accessit  
'EYXAPIΣΤΙΑ, &c.

---

A Gulielmo Comper, Chirurgo Londinensi,  
S. R. S.

---

L O N D I N I :

Impensis S. Smith & B. Walford, Regiae Societatis  
Typograph. ad Insignia Principis, in Coemeterio  
Divi Pauli, MDCCII.



Galilee's Complete Collection of Persian  
Tracts

1041

Volume 28 Part 2 & Number 222  
Typo-type by Imperial Printer in Cossor  
1900 Price 1/- MARCH

# GLANDULARUM

Quarundam, nuper detectarum,

Ductuumque Earum Excretiorum,

## DESCRIPTIO, &c.

**Q**UANQUAM nullum adhuc seculum  
felicius quam praesens Anatomiā  
excoluit, in qua tot viri eruditi in-  
desinenter satagunt, tot tantaque quo-  
tidie in lucem proferuntur inventa; restant  
tamen, restabuntque in perpetuum non pauca  
felicis, & curiosæ indaginis detegenda præmia,  
quorum

quorum notitia lucis non parum adferet œconomiae animali, & quæ sagacitatem nostram se felisse, & tamdiu latuisse mirabuntur forsan Posteri. Hujus rei argumento sint Glandulæ duæ, nuper à nobis nec ante à quopiam (quod scimus) observatæ in *Pene Humano*; quanquam membrum hoc ab aliis olim accuratè descriptum nos etiam folicet sæpiùs riuniti sumus, antequam in conspectum venirent hæ Glandulæ. Hoc autem nobis animos & solatum ferat, quo minùs instituto absterreamur, si ex quolibet conamine inventis novis non gaudeamus, idemque moneat ne nimium efferamur, ubi quid fœlicius contigerit, quum idem omnibus evenire non potest, aliorumque labores tali successu frequenter destituantur, quorum solertia, & industria non minorem meruerunt laudem.

Circa digiti quadrantem infra Glandulas *Prostatas* (*Tab. II. Fig. 1. E.*) duas alias Glandulas minores (*ibid. G G.*) figuræ ovalis depresso, magnitudine *Phaseolum* æmulantes, utrinque à latere *Urethræ* (*ib. F.*) aliquantò supra *Bulbum Corporis Cavernosi* ejus locatas observavi. Amotis *Musculi Acceleratoris* (*ib. 11.*) partibus superstratis utrinque *Urethræ* tactui sese offerunt Duo corpora dura, quæ sunt hæ Glandulæ. Harum color ad luteum

teum accedens *Prostatarum* non absimilis. Ductus earum excretorii in superficie internâ (ib. Fig. II. A. B.) juxta membranam *Urethræ* interiorem (ib. Fig. C.) conspectui se præbent, unde digitum dimidiatum descendentes angustiores facti istam membranam obliquè perforant (ib. D.) & in *Urethram* liquorem deponunt. Totus hic à Glandulis ad *Urethram* transitus admodum angustus, & in cadavere nuper mihi subiecto alterum, eorum valdè contortum deprehendi prope ejusdem ostiolum. Apertâ *Urethræ* parte superiore juxta *dorsum penis*, & expansâ *Urethræ* membranâ interiore, si comprimantur Glandulæ, ore dupli distincto liquorem eructant diaphanum, & viscidum. Ostiola hæc in *Urethram* aperiuntur immediate infra curvaturam ejus sub *Osse Pubis* in *Perinæo*.

In his Glandulis, & earum Ductibus Excretoriis disponendis artificium naturæ egregium. Quippe erecto Pene, & Corporis Cavernosi *Urethræ Bulbo* distento necessariò comprimuntur hæc Glandulæ, & liquor contentus in *Urethram* exprimitur. Quin & *Musculi Acceleratoris* pars his Glandulis superstrata compressionem adjuvat. Ut hæc omnia organa in comprehendis his Glandulis consentiant necessarium videtur, quia liquor, quem secer-

nunt, tenacissimus, ut usus, cui destinatur, postulat.

Præcipua naturæ intentio in formandis hisce Glandulis opus genitivum primariò respicit, ut ex organorum in aliis animalibus his analogorum examine clariùs patebit.

*Soricibus* hæ Glandulæ magnitudine insignes ita locantur, ut inter erigendum Penis intumescens-tia eas ad Ossa Pubis apprimat, quod idem in *Echino terrestri* aliisque quibusdam animalibus observandum.

*Apris* autem maximæ sunt, & fluidum, quod se-  
cernunt, magis viscidum, & minùs diaphanum,  
quam animali cuicunque hactenus mihi subiecto.  
In structura etiam hoc eis singulare, quod muscu-  
lo donentur peculiari Avium Ventriculo Musculo-  
so non absimile, quæ ita instrui videntur, ut for-  
tiùs quasi prælo exprimatur liquor earum, qui  
his animalibus admodum glutinosus, & aliis  
etiam præter coitum temporibus exprimendus.  
His enim *Meatus Urinarius*, cum perlongus sit,  
hoc liquore, quo illinatur, & ab injuriis salium  
acrium, quibus urina grava est, defendatur,  
opus habet. Juxta mensuram salium acrium,  
quos continet diversorum animalium urina, &  
juxta

juxta longitudinem Meatus Urinarii variatur etiam Glandularum proportio. Quod autem notatu dignum fœmellis desunt, quanquam quid illis analogum reperiatur. Hoc etiam accurato Anatomico Regnero de Graaf observatum in fœminis, qui tales Glandulas descripsit, & Prostatas Mulerum vocat. Harum Ductus Excretorii, cum in exitum Urethræ hient, sales acres à Nymphis & Labiis pudendi arcent, & in coitu liquorem eruant, ut alibi observavi. Urethra enim illis brevissima cum sit, sola Sphincteris Vesicæ contractio sufficit ad expellendas quascunque Urinæ reliquias.

Usus harum Glandularum duplex. Primò enim cum erigitur Penis tantum liquoris emitunt quantum ad extrudendas quascunque Urinæ reliquias sufficiat, atque ita prohibeat quo minùs cum Semine confundantur. Secundò, per continuam liquoris emissionem Urethram contra Sales Urinosos muniunt; quale officium neque Prostatae, neque Vesiculæ Seminales præstare poterant, utcunq; necessarium. Quia Musculi Sphincteris vicinia ita membranam Urethræ interiorem corrugat, ut Liquori Prostatali facilis non detur exitus. Semen autem Caruncula, seu Caput Gallinaginis ita cohabet, ut horum alterutri exprimendo Diaphragmatis, Muscularum Abdominis, & Levatorum Ani cooperatio desideretur.

Præter

Præter Glandulas supra descriptas, quas in Corpore Humano primus tribus aut quatuor ab-hinc annis detexi, & earum historiam dedi in *Actis Philosophicis Societatis Regiae Londonensis*, mensis Novembris, Anni Millesimi, Sexcentesimi Nonagesimi Noni, No. 258. aliam etiam Glandulam ante inobservatam cum duobus Ductibus Excretoriis in *Urethram* hiantibus observavi, cuius magnitudo & figura ex *Tab. III. Fig. 2. F.* ubi in superficie exteriore membranæ interioris *Urethræ* sublato Corpore Cavernoso exhibetur, satis innotescit.

Sita est hæc Glandula in angulo curvaturæ *Urethræ* sub *Ossibus Pubis* in ea parte *Perinæi*, quæ *Ano* adjacet. Ut fœlicius quis hanc Glandulam investiget, Corpus Cavernosum secundum longitudinem incidendum usque ferè ad membranam *Urethræ* internam, tum Corpus Cavernosum cautè à membrana separandum, quod dum fit, in dicto loco sese ostendit Glandula. Ductuum Excretiorum ostiola quærenda in *Urethra* circa digitum quadrantem infra priores; vide *Tab. III. Fig. 1. K K.*

Haud

Haud absurda mihi videtur conjectura, eum  
 liquorem qui sub finem Gonorrhœe nondum pe-  
 nitùs absoluta curatione effuit viscidus & diapha-  
 nus, qui sermone vernaculo dicitur **a Gleet**, in  
 his Glandulis suos habere fontes, non in **Prosta-**  
**tis**, aut **Vesiculis Seminalibus**, ut vulgata fert sententia.  
 Qualis fluxus vocabulo non inepto *Lampræa* dici  
 potest. Si autem Ulcus Venereum in Ostiolum  
 Ductūs ex his alicujus Excretorii, eroso tandem  
 sphinctere *Lampræa* fit obstinata, & forsitan in-  
 curabilis. Hujus rei exemplum unum vidisse  
 contigit, exhibente Domino Doctore *Drake*,  
 cuius Iconem vide Tab. III. Fig. 1. \*. Hinc  
 improbatur vulgaris medicinam & chirurgiam  
 exercentium mos ingerendi repetita cathartica,  
 & inutilem medicamentorum astringentium far-  
 raginem, quorum in locum in *Lampræa* cum  
 fructu & levamine substitui possunt injectiones  
 abstersivæ & restringentes.

T A B U L A R U M  
E X P L I C A T I O .

---

*Tabula Prima*

**E**xhibet *Vesicæ Urinariae* partem anteriorem cum *Pene* cæterisque partibus Genitalibus annexis, quæ realibus paulo contractiores exprimuntur.

**A A.** *Corpora Cavernosa Penis integra.*

**a a.** Et eorundem extremitates in *Corpus Cavernosum Glandis* receptæ, ut etiam *Tab. III. Fig. 1. o----*

**B.** *Cutis Penis Portio Præputium* constituens.

**b.** Ejusdem duplicatura, seu pars inferior *Glandi alligata.*

**CD.** *Vasa sanguifera Dorsum Penis permeantia cerâ repleta.*

**c c.** *Trunci*

c c. Trunci eorum à Glande rescissi.

d.... Venæ Præputii Truncus per quam Cera  
in cæteras Venas immissa. Per hanc  
inter Præputii & Penis Venas Anastomo-  
sis sanguinis pars revehitur, etiam com-  
presso in Erectione Penis Trunco mag-  
no Venæ M. De quo vide Myotomiae  
nostræ Reformatæ Appendicem.

E. Glans Penis.

c. Urachi Portio.

F. Vesica Urinariae pars anterior.

f. Membrana ejusdem interior in qua Fibra-  
rum Musculosarum ordo conspicitur,  
(g g) & gg Ostiola Ureterum bina, cum  
(h) Glandulis Miliaribus h quæ Mucum  
Membranam illam illinentem, & à Sa-  
libus Urinæ munientem secernunt.

G G. Ureteres rescissi.

H H. Vasorum Deferentium Portiones.

C

II. Ve-

## II. Vesicularum seminalium Portiones.

K K. Prostatae cum Urethra R R per anteriora  
divisæ.

L --- Caruncula Vesiculas seminales claudens, ubi  
etiam Ostium Vasis Diferentibus cum  
(o o) iisdem commune o o.

i i. Ductuum Prostatarum Excretoriorum Of-  
cula ex utrinque Carunculae.

M. Venæ Penis pars ea, quæ à Ligamento  
Ossium Pubis comprimitur in Erectione  
Penis.


N N. Arteriæ }  
O O. Nervi } Dorsum Penis decurrentes.

Q Q. Musculi Directores Penis.

R R. Latera Urethræ diducta & expansa:

S. GLANDULA MUCOSA supra descripta  
dextri lateris acu distracta.

t. Ostium





tt. Ostiolum Ductus Excretorii ut se in Urethra Muco proprio turgidum exhibet.

r. Osculum Ductus Excretorii sinistri, quod valde patulum erat, & exitum habuit communem cum Ductu Excretorio ejusdem lateris **GLANDULÆ MUCOSÆ** inferioris nuperrimè detectæ. Vide Tab. III. Fig. 1. \*---- & Fig. 2. F. ----

C 2 Tabula

*Tabula Secunda.**F I G. I.*

A b, **P**ortio Vesicæ Urinariæ.

B B, Ureterum Portiones.

C C, Vasorum Diferentium partes.

D D, Vesiculæ Seminales flatu per Vasa deferentia aliquantulum distentæ.

a a, Vasa sanguifera Vesicularum Seminalium.

E, Glandulæ Prostatæ.

F, Urethra expansa superiori & anteriori parte apertâ, ut denudentur Ostiola Ductuum Excretiorum Glandularum sequentium.

G G, Glandulæ supra descriptæ duæ, quæ à Liquore quem secernunt **GLANDULÆ MUCOSÆ** dici possunt. h,

*h,* Ductus Excretorius GLANDULARUM  
MUCOSARUM alterius priusquam  
*Bulbum Cavernosi Corporis Urethræ*  
subeat.

*I,* Bulbus Corporis Cavernosi flatu partim  
distentus, & Musculo Acceleratore de-  
nudatus ut Membrana exterior appareat,  
quæ tenuissima est, quo magis adæquate  
Musculus dictus *Bulbum* comprimat, &  
sanguinem contentum adigat versus  
Glandem Pene erecto.

*K,* Musculorum Penis par tertium.

*L L,* Musculus Accelerator per suturam medium  
divisus super *Bulbum*, à *Bulbo* postea  
liberatus & expansus.

*l l,* Musculi hujus pars superior, quæ GLAN-  
DULAS MUCOSAS immediate su-  
perscendit.

*M M,* Musculi Directores Penis.

*N N,* Corpora Cavernosa Penis.

*O, Corpus*

O, Corpus Cavernosum Urethræ.

P, Ligatura flatum cohibens intra Corpus Cavernosum Urethræ & ejus Bulbum.

Q, Apertura per quam flatus immisus est.

### F I G. II.

**G**LANDULARUM MUCOSARUM alteram in aqua maceratam, & Ductum ejus Excretorium Argento vivo repletum exhibit.

A, GLANDULA MUCOSA maceratione mole aliquantulum aucta.

b, Ductus ejus Excretorius.

C, Membranæ interioris Urethræ Portio expansa.

D, Ostiolum Ductus Excretorii.

Tabula

*Tab. II.*

114

Fig. I.

B



Fig. II.





*Tabula Tertia.**F I G. I.*

**U**Rethra aperta ut conspectui pateant Ductus  
GLANDULARUM MUCOSARUM,  
&c.

Hæc Figura etiam typo naturali paulò contra-  
ctior.

**A A A,** Vesicæ Urinariæ Pars aperta, & expansa  
ut ejus interiora pateant.

**B,** Stylus Ureteri sinistro immisus ad ostendendum ejus in Vesicam progressum.

**C,** Ureteris dextri Pars aperta, ut ejus in Vesicam insertio pateat.

**E E,** Vesicularum Seminalium pars anterior.

**e,** Vasa sanguifera quæ Vasa Deferentia, &  
Vesiculos Seminales intercurrunt.

**F F,** Prostatae

F F, Prostatae diductæ.

ffff.. Urethræ divisæ Parietes diducti.

G.... *Caruncula* cum Ostiolis Ductuum Excreto-  
riorum Prostatalium utrinque expressis,  
ut in Tab. I. i i.

HH.. GLANDULARUM MUCOSARUM  
prius descriptarum PAR acu depresso.

II, Styli duo Ductibus earum secretoriis im-  
missi, ex quibus Orificium dextrum  
rectum, ut in statu naturali ; alterum  
(\*) \* ... vero amplum admodum in hoc  
subjecto ex Ulcere.

K, Stylus in Ductum Excretorium GLAN-  
DULÆ MUCOSÆ postremo loco de-  
scriptæ. Fig. 2. F...

L... Bulbus Corporis Cavernosi Urethræ Cerâ  
repletus.

M, Corpus Cavernosum Urethræ utrinque  
Cerâ repletum.

N, Glans

**N,** *Glans Penis Cerâ per Venam Præputii immisâ referta.* Vide Tab. I. d---

**O---** *Cavitas in quam Corpora Cavernosa Penis (Tab. I. a a a a) terminantur.*

**Q,** *Pars Glandis superior Peni adjuncta.*

**P,** *Membrana Carnosa Penis ejusdem parte anteriore extractâ, & acu fixâ.*

### *F I G. II.*

**V**esicæ Urinariæ Puelli Portio cum Urethra,  
&c. Typum Naturalem æquantia.

**A,** *Pars Vesicæ Urinariæ inferior & posterior flatu rigida.*

**b B,** *Vesiculae Seminales.*

**CC,** *Vasa Deferentia.*

**D,** *Prostata.*

**D**

**EE,**

E E, Urethra Corpore Cavernoso sublato inflata.


- F, GLANDULA MUCOSA ultimò descripta ad Angulum curvaturæ Urethræ, ubi Ossa Pubis subit.

---

E Y-

---





'E Y X A P I Σ T I A,

I N Q U A

DOTES plurimæ & singulares

GODEFRIDI BIDLOO, M. D.

E T

In Illustrissima *LEYDARUM* Academia

ANATOMIAE PROFESSORIS CELEBERRIMI

Peritia Anatomica, Probitas, Ingenium, Elegantiae Latinitatis, Lepores, Candor, Humanitas, Ingenuitas, Solertia, Verecundia, Humilitas, Urbanitas, &c.

C E L E B R A N T U R,

E T

Ejusdem CITATIONI humillime

R E S P O N D E T U R:

---

A *Guilielmo Cowper*, Chirurgo *Londinensi*,  
S. R. S.

---

L O N D I N I : MDCCLI.

А Т Т Е Н Д У М

А У С М

ДОТЫЧИЩЕСТВЕННОСТЬ

1903-1910 ГОДЫ

УД

Составлено Михаилом Афанасьевичем  
Горемыкиным, архивистом Государственной  
библиотеки им. Н. К. Крупской в г. Москве.  
Рукопись написана в 1910 году.  
Составлено в 1910 году.

ПРИКАЗЫ

Составлено Михаилом Афанасьевичем  
Горемыкиным, архивистом Государственной  
библиотеки им. Н. К. Крупской в г. Москве.

ПРИКАЗЫ

Составлено Михаилом Афанасьевичем  
Горемыкиным, архивистом Государственной  
библиотеки им. Н. К. Крупской в г. Москве.

ПРИКАЗЫ

---



---

GULIELMUS COWPER

Lectori Candido

S. D.

**D**IU est, à quo humanissimo Professori gratias retulisse decreveram, quod mihi cum Celeberrimo Swammerdamo communes honores, & tam Explicationibus meis quam Figuris ejus nomen suum inditum, voluit. Neq; tamdiu Grati Hominis officio deesse constitui, quin Urbanitatem Professoris, qui de me totum elegantiis & blanditiis refertum composuerat Libellum, pro tenuitate saltem meā remunerarem. Dum vero ad prælum festinarent hæ, quæ sequuntur, Chartulæ, mora hinc injecta est. Conveniunt me Bibliopolæ Smith & Walford querentes pactum Figurarum numerum se nondum Amstelodamo obtinuisse, & orantes ne quam responsionem emitterem,

mitterem, priusquam, quæ residue erant, Fi-  
guræ redderentur, veriti forsan ne in tam sin-  
gulari Urbanitatis certamine quid sinistrè ex-  
ciperetur, & Professor in causâ esset, quo  
minùs pacti fides omnino liberaretur. Haud  
iniqua petentium precibus mora data est, quæ  
buc usq; Schedulas hasce distinuit, quod ne  
gravetur Celeberrimus Professor, & Lector  
Benevolus, instanter oro; præsertim cum  
quicquid hoc sit moræ, id culpâ non factum est  
meâ. At quoniam in libello suo pro insigni er-  
ga me amore amicè me monet Professor, me  
Figuras (quas suas vocare libet) ineptè lite-  
rulis oneraffe, & earum nitorem fœdasse, in-  
ficias non eo me plures quam septingentas ad-  
didisse, quarum invidiâ (si etiam Lectori in-  
eptæ videantur) ut eum omnino exonerem,  
eas Minio distingui in posterum curabo. Atq;  
iterum tali si me dignetur honore, siquid rege-  
rat Professor promptiorem, & instructiorem  
habebit Respondentem. Hæc pro hac vice  
dicta sufficient, ne te obtundam, Lector Can-  
dide, Vale.

Vin-

## 'E Y X A P I Σ T I A, &amp;c.

**Q**uoniam id mihi contigit, quod viris bonis non raro solet accidere, ut mihi litem moveat Vir malevolus, de re non sua, & coram Regia Societate in jus vocet. Tantis per mihi non deesse constitui, quin Plagii crimen (cujus me insimulat) in proprium forsan insimulantis caput recisurum diluam, & simplici narratione omnem à me amoveam culpam, convitia istius neque molestè ferens, neque redditurus.

Siquis forsan nondum audierit, nunc sciat velim, annis jam elapsis quatuordecim præterpropter in lucem emissum fuisse à Gothofrido Bidloo M. D. nunc Leydis Anatomiam profitente, librum Anatomicum figuris elegantibus centum & quinque speciosum. Hæ Figuræ ære incise sunt ex Delineationibus ad vivum Gerardì de Lairesse. Quis vero Schemata paravit & delineanda exhibuit vix dum satis constat. Quippe qui librum edidit  
Bid-

Bidloo, & Tabularum explicationes Latinè adjunxit suas par operi nullo modo videtur, ut qui nec ipse secuerit corpora sic delineanda, nec delineatorum partes satis noverit distinguere. Neque hæc temerè assero. Ipsæ ipsius explicationes verbis meis fidem facient. Nam & partes quamplurimas principes in ipsis Tabulis probè expressas litterulis notare omisit, & in explicatione Tabularum loco dignatus non est, unde facilis est conjectura, eas illi aut non visas, aut non cognitas, quorum neutrum contingere potuisset, si ex ipsius administratione Schemata, unde istæ Tabulæ depictæ sunt, exhibita fuissent. Quod verò Professorem Cellerimum gravius urget, partes etiam non paucas notis & explicatione honestavit, ubi in Figuris ipsis ejusmodi nihil compareat. Inter has etiam Tabulas, suas enim habent lituras, quædam sunt omnino fictitiæ, & à natura alienæ, & abhorrentes, pinguis & luxuriantis cerebri progenies, pro quibus gratiæ soli Professori habendæ. Nec minùs in diripiendis alienis sagax, quam in suis inventiendis fœlix Lugduni Batavorum lumen hoc novum. Illi ingeniosa etiam manus est ; quippe quasi fingendi honorem aliis invideat, non pauca rara, & insolita visu, qualia Natura nunquam exhibuit, aut exhibebit, ex aliis in suum transstulit opus ; nequid Monstri, quo obstupesceres, curiose Lector, deesset.

Ne

Ne mireris igitur, Lector Benevole, si excanus descat, si vix apud se sit præ ira Celeberrimus Professor, si quis tanto ingenio, labore, & astutia comparati operis honore eum spoliare audax aggredieretur. Habis infelicem me, cui vehementer succenset, quem falso crimine, suspicione iusta, libellis famosis, & calumniis indignis tantum non opprimit, & more patrio, ut reum habeat confitentem, torturam adhibet. Quàm indignè autem ab illo accipiar, te judicem constituo, coram te causam agam, & si, cuius me postulat, in ipsum crimen retorqueam, sibi acceptum referat. Tantum enim abest, ut illi librum surriperem, quod queritur, ut ejus deprædationes (quarum non levis mihi erat suspicio) alto premerem silentio, &, quodcunque ejus erat extra controversiam, intactum reliquerim.

Non enim me latuit fama, designatas & inchoatas fuisse hasce Tabulas à clarissimo Swammerdamo, cuius in secundis cadaveribus diligentiam & felicitatem omnes laudant. Priusquam tamen quam absolutas omnibus numeris hasce Tabulas daret, morte præreptus est. Hæ Tabulæ nondum absolutæ, ut in lucem prodirent, Bidloo commissæ sunt. Hinc illi ministrata occasio ad-

dendi Figuras, quascunque voluerit, unde non est, quod mireris, Lector, si inter figuras quamplurimas elegantes multæ occurront accuratissimo Swammerdamo omnino indignæ, quæ tamen proprium sapient authorem.

Neq; hæc ex conjectura sola dicta sunt. Quippe res ipsa verbis meis fidem facit. Nam Bidloum ipsum Corpora secuisse, Arterias, Venas, Nervos, Lymphæ Ductus, Ductus Excretorios, Organa denique omnia corporis humani Delineatori exhibuisse, quas postea graphicè delineatas in Tabulis ipsis non agnoverit, vix fidem inveniet. Hæc quidem Præfationi Explicationum nostrarum ipsarummet Tabularum sermone Anglicano annis abhinc duobus editarum inseruisse licuit. Placuit tamen potius hæc oblivioni tradere, & gaudentem plagio dimittere, quam ut per me illæsum furtum Professoris, & in rebus Anatomicis imperitia palam fierent, aut Fama lacerari videretur.

Si tandem lacestitus in arenam memet ipsum vindicaturus descendō, studiosè evitabo sterquilinum, in quo se tam sœdè volutat Celeberrimus Professor, memor quam minime deceant os ingenuum opprobria & convitia rationum inopiam certò indicantia, Idcirco maximam Dissertatiunculæ Leydensis

Leydensis partem, utpote solis convitiis scatentem,  
despectui habiturus sum, soli facto, & rebus per  
se evidentibus immoraturus.

Cum innotesceret Samueli Smith & Benjamini Walford, Bibliopolis Londinensisibus, apud Henricum Boom Bibliopolam Amstelodamensem otiari Tabulas Æneas Bidloi dictas, propter malam Explicationum & Additionum famam ; cumque iisdem constaret de istarum Figurarum Elegantia, & accurata ad vivum delineatione, (exceptis tantum paucis ex propria forsan Bidloi designatione) subiit pacisci cum dicto Bibliopola pro trecentis Exemplaribus absque explicatione Bidloana imprimendis ; quæ, cum ex pacto traderentur sub conditione nullam explicationem Lingua Latina aut Gallica scriptam adjiciendi, mihi commissa sunt, ut novam explicationem sermone nostro, aggrederer, omissiones & defectus explicationis Bidloanæ supplerem, errores denique quoscunque in designatione ipsarum Tabularum Figuris ad vivum delineandis, & ære incidendis corrigerem. Neque enim nisi sub hac conditione hoc opus in me suscepturnus eram. Quin & literulas septingentas propria manu addidi, & calamo cuilibet Exemplari addendas curavi, quibus partes in Tabulis Bidloanis expressæ in explicatione Tabularum Bidloana omisæ notarentur. E 2 Ne-

Neque mirum si harum rerum Bibliopolæ Batavo nulla incideret suspicio, qui quum in venditione Exemplarium conditione additâ contra expositionem quamcunque Latinam, aut Gallicam lucro cavisset suo, de reliquo parum solitus erat, quid aliud de illis fieret. Quin nec ipsi Professori adeò displicuit olim institutum nostrum ; utpote qui suis stupiditatē jactabundus exprobraret, qui opus suum parvi penderent, quod Anglis tanto-peré arridere diceret, & in Sermonem Anglicanum traductum iri polliceretur ; quanquam ista spe destitutus, cum intelligeret omissiones, & errores suos modestè notari, aliam cantavit cantilenam, & Bibliopolam suum dehortari conatus est, ne juxta fidem datam pacta mitteret exemplaria.

Dum enim descriptionem novam Partium in istis Tabulis expressarum molirer, & in Appendice construendo occupatus sum, accedit ad me Celleberrimus Professor unà cum Domino Doctore Hutton, qui sciscitari cœperunt, num Anatomiā Bidloanam in Linguam Anglicanam vertere satagerem ? quod quidem negavi, coram utroque pronuntians, me Expositionem omnino novam moliriistarum Tabularum, quas ediderat Professor ; simulque mentionem injeci pacti inter Bibliopolas.

las nostros, & Amstelodamensem pro Exemplaribus. Quod autem dicit me tunc temporis fas- sum esse, curtiorem mihi esse Latinitatis supelle- etilem quam ut id aggrederer, Figmentum illi pro- prium & familiare est, qui verba sua aliis solet obtrudere.

Quod si fassus essem, neq; enim nunc inficias eo, me non satis capere Bidloanas expositiones istarum Tabularum (quas vocat Latinas) unde tamen hoc mihi vertit vitio? Quasi Latinè intelligenda essent, quæ Latinè non sunt scripta. At si famæ consuleret suæ Eruditissimus Professor, me & alios tam Argumento, quam Lingua, minus versatos opta- ret. In utroque enim scatent mendæ Lippis, & Tonsoribus notandæ. At neque amicis fidelior, illorum etiam verba in sensum detorquet alienum, quippe acceptis à Doctore Hutton literis Apr. 20. 1698. datis, in quibus hæc sunt verba, **Mr. Cowper tells me your Book with his Animadversions will be out in a little time.** (i. e.) Dominus Cowper ait librum tuum cum Animadversionibus ejus brevi in Lucem missum iri: Quæ pro sua Ingenuitate & Latinitate ita reddidit Professor, Magister Cowper dixit mihi librum tuum cum suis Annotationibus, brevi appariturum. Unde Spes erat posse hæc verba de Explicatione sua intelligi.

intelligi. Quòd si sua ita depercat, hanc licentiam illi indulgeas velim, Lector Ingenuo, per me enim licet,

*Ut sine Rivali, seque & sua solus amaret.*

Quum vero acceperat librum nostrum brevi emissum iri, & ratiunculam etiam additionum nostrarum quamvis quidem imperfectam; Literas ad me dat, in quibus ultrò auxilium promittit suum in eorundem plerisque addendis, quæ ipse prius addideram. Ne autem non prius emitteretur liber, aut emisso proximus esset, quam Literæ traderentur, & promissum expectarem auxilium, viginti quatuor dies cunctatur ab acceptis Huttonianis, priusquam suas ad me dat, quas tandem Maii 14. datas accepi in hæc verba :

*Percepi ex Nobilissimo D. Huttonio, te opus meum Anatomicum translatum in Linguam Anglicanam, annotationibusque tuis illustratum, publici juris facturum brevi; gaudeo reverâ fortique gratulabundus meæ, egregios videre tuos gestio labores vehementer: si quidquam sit, quod mea tibi operâ, hac in re effici possit, velim me moneas aëtutum; dies enim ut diem docet; ita multa, post editam meam Anatomiam, detecta, tibi subministrare impar non sum. ex. gr.*

*Novum*

*Novum Systema muscularum figuris & machinis  
exhibitum, novam Demonstrationem iconographicam de  
Musculis diaphragmatis. Observata ad musculos La-  
ryngis.*

*Organi respiratorii fabricam, & movendi methodum.  
Ex arteriarum & venarum extremis divaricationibus  
quædam mea.*

*Segregationis liquidorum glandularumque Organum.*

*Multa ossium examen spectantia, & sic porro. Si  
participem me certioremque facere, qua methodo notæ,  
addimenta, emendationesque tuæ sunt dispositæ, onerosum  
tibi non sit nimium, rogo hoc mihi præstes officium, tu-  
aque accepta responsione non morabor tibi mox animi  
mei grati signa offerre debita, ut potero luculenter.  
Vale, & vive in decus nobilissimæ Artis Apollineæ.*

*Habes hic, Amice Lector, specimen Ingenuitatis,  
Sagacitatis, & Elegantiarum, quas tantopere crepat  
Eruditissimus Professor. Ut Ingenuitatem & Ur-  
banitem ostendat, auxilium pollicitatur in edendo  
libro, quem dudum editum, aut edito proximum,  
i. e. prælo maxima ex parte emissum novit. Ut  
Sagacitatem, quas me fecisse additiones ex Hutto-  
nio,*

mio didicisset, mihi pro suis porrigit. Ne autem istarum pollicitationum inepta ostentatio patefieret, prius edi librum curat, quam fides exigi possit, & deinde præoccupari se queritur. Ut denique Elegantias, hanc Epistolam, & alias publici juris fecit, unde puræ Latinitatis gloriam sibi acquirat.

Gratulor vero tibi seriò, Lepidissime Professor, de inventione tua *Organi*, quod segregat *Glandulas*. Quod ne quisquam tibi surripiat in posterum, defendam, ut inventi tam ingeniosi, quod tui proprium est, tibi soli semper habeatur honos. Quod si æquè fœlix Celeberrimus Professor in *Observatis ad Musculos Laryngis*, ac in invento Organo, me sponsorem offero neminem unquam illi quicquam surrepturum.

Ostenderam autem ineunte Martio 169<sup>7</sup> Dominō Doctori Hutton Præfationem Explicationum mearum, in qua reprehenderam Figuras Musculorum Laryngis Bidloanas, simulque memineram me novas & accuratas istorum Musculorum figuræ excudi curasse ; cuius rei cum notitia forsitan obscura Bidloum pertigerat, nequid mihi agendum relinquere videretur sua in eosdem musculos observata post decem inde hebdomadas mihi obtrudere vult, quæ fortasse nulla sunt, at certè, si figuris eorum suis paria, nullius pretii.

Quod

Quod autem de aliis quibusdam Epistolis, & nuntiis Southwellio, Beestonio, & aliis, nescio quibus, Germanis, & Belgis garrit, certe eorum nullus ad me pervenit, & nunc primùm de iis audio per infamem hunc libellum. Quin & ipse Dominus Southwellius in conventu Regiæ Societatis de hac re à me interrogatus, ut generosum & ingenuum decebat, palam professus est, se ne verbum quidem à Bidloo mihi protulisse.

Pergit autem, & quanquam acceperat, aut (ut ipsius verbis utar) *multus apud eos erat rumor, opus suum Anatomicum à me auctum, illustratum, correctum, in Anglicanam translatum Linguam, typis impressum, publicique juris esse factum jam dudum,* ab Huttonio quærit, cur suis non responderim; cui Huttonius, siquidem Huttonii sit ea Epistola, quam Bidloi propriam suspicarer potius propter fidem malam, & elegantias verè Bidloanas.

Whitehalliæ, Oct. 14. 98.

CUPERUM CHIRURGUM non video,  
neque vidi eum per septem menses præterlapsos. Circiter  
Kalendas Martii anni currentis, forte fortunâ illi obviam  
fui, illumque adortus & allocutus sum de opere tuo

F

Anatomico,

*Anatomico, nondum divulgato : parum mibi satisfecit  
eā in re, & cum meam planè declaravissim sententiam,  
id ægrè ferebat, & ut non dubito, fert ab aliis factum.  
Interim extat opus, & in Anglicanam Linguam trans-  
latum. Tuas ipsissimas Figuras, integras, & omnes  
Amstelodamo sibi curavit, ut intelligo ab aliis, usque  
ad trecentas copias uniuscujusque Figuræ, totidem enim  
sunt operis copiæ & non plures. Literati nostræ facul-  
tatis, tuum præ manibus habent librum, translatum  
non æstimant, figuræ cum non sint æquivalentes prio-  
ribus ; unde decus tuum, illi viro est dedecori, &c.*

Huic aliam subjungit à Bibliopola Amsteloda-  
mensi, Belgicè scriptam, & à se Latino-barbare  
redditam, quarum utraque ita Phrasî, & Com-  
matum inepta dispositione conveniunt, ut facile  
quis credat, omnes ex eadem Officina proficiisci.  
Quod si hæc, aut hujusmodi quæpiam scripserit  
Huttonius, malâ fide ab illo mecum actum est,  
sive aliter pejore cum illo à Bidloo ; & utroque  
modo illatæ injuriæ debentur mihi vindiciæ. Quip-  
pe si de Latinitate Bidloi parum solicitus fuerit  
Huttonius, de fide ejus minus securum fuisse o-  
portuit. Aliter enim res se habet, ac narratio,  
sive ea sit Professoris, sive Huttonii. Cum enim  
circa dictas Kalendas Martias Domino Doctori  
Huttonio occurserem juxta Whitehall, Præfatio-  
nem

nem mecum habui, à Typographo missam ad corrigendos errores Typographicos, quam non ostendi solùm Doctori Hutton, sed & perlegi totam, in qua (ut supra memoratum est) eorum pleraque in *Appendice* addi dicebantur, quæ postea Bidlous in prima sua ad me Epistola pollicebatur; in qua etiam post mentionem Bidloï factam, ut qui ediderat centum & quinque Tabulas priores, sequebantur hæc verba, *Whose Performance I shall not in this place either commend or condemn, Cujus laborem hic nec laudabo, nec improbabbo.* Quæ verba coram rogante Huttonio delevi, & in impressione omittenda curavi.

Neque hac vice tantum liberè cum eo colluctus sum de instituto meo, sed quotiescumque obvius factus sum, neque quicquam ab eo ægrè tuli, ante editam hanc epistolam. Quid autem Huttonio sufficiat, ut contentus reddatur, mihi nondum constat, certe nunc primum aperit mihi, se non fuisse contentum.

Quæ subjuncta est Bibliopolæ Epistola, iisdem elegantiis à Professore referta, minoris momenti est, quam ut hic paginam impleat. In ea Bidloum monet se non novisse, quo usque processerat

opus nostrum, at se curaturum per quendam amicum suum emi Exemplar.

At tandem titulum operis acceperat, nec in fronte  
nomen suum invenerat unde subit furor poeticus,  
quem sequenti eructat flatu. Cum  
P. 6. autem crebras omnesque spernentem moni-  
tiones, atque elephantino circumtentum corio  
hominem experiebar, stimulo ipsum pungere naresque  
auresque vellicare hamulo constitui huju/modi.

Euge, Lepide Professor, *Hamatus* ergo es; an  
me *Cabiliæum* putas? gratulor tibi iterum de tuis  
leporibus, quos etiam neminem tibi surrepturum  
spondeo. At hamata qualis sit hæc Epistola, vi-  
deas, obsecro, Lector Amice.

*Mijn Heer*

William Cowper,

*Vermaard Chirurgijn,*

*tot*

London.

Vir Clarissime,

Expeto (iterum etenim iterumque monitus files) ad  
hasce tandem respondeas. quod rogavi, quodque abs te  
& jam rogo, summo ab me peti jure, nemo mortalium  
ibit

*ibit inficias : fac videam, quid præstiteris versione operis  
mei Anatomici in Linguam Anglicanam : sunt qui nomen  
meum, vix toto in volumine inveniri & alia, vix cre-  
denda abs te perpetrata, persuadere mihi conantur ;  
verum ego, qui garrulitate famæ, invidiâ delatorum,  
nec malevolis pseudocriticorum artificiis, seduci me ho-  
norificentissimo de æQUITATIS tramite passus fui, inaudita  
neque parte altera, aliquid statui unquam, tacebo ; us-  
quedum quid de labore meo ab te actum sit, viderim ipse*

*Mitte itaque quantocyùs mihi (quartò hoc urgeo)  
integrum, sed incompactum editionis tuæ exemplar ; cum  
itidem singulis septimanis, ad minimum bis, tibi Har-  
vicum curru ad navim, (vulgò het paquet boot) hoc  
devehendi nascatur opportunitas, nullus dubito, quin  
quatuordecim dierum spatio, meum impleveris votum ;  
si minus, conquerar de illata in me injuria publicè :  
ipsi autem prædictæ navis magistro, mox ubi appulerit,  
cum expensis solvet exemplar, vir Consularis, qui hisce  
navibus præest, Brielæ, Dominus Jacobus vander  
Poel : si vero Amstelodami, aut hic Lugduni, istam  
mavis persolutionem, velim jubeas & erogatos habebis  
nummos, meque ad quodvis honestum officium*

Dabam Lugd. in Bat.

Die 13. Februarii,

1699.

paratissimum,

G. Bidloo.

Quælo,

Quæso, honorificentissime Domine Domine Professor, ne hominem tam curtæ supellectilis obruas Honorificabilitudinitatibus. Hoc autem mihi quam auspicatò evenit, singularem hanc Professoris humanitatem minimè suisse durabilem Quippe, si promissam quatuordecim dierum patientiam præstisset, me contra memet ipsum forsan in partes suas pellexisset accepti honoris gratia. At hoc me metu liberavit, quippe impatiens, fideique datæ immemor ne totum quidem triduum expectat, quin die decimo sexto literis Huttonio datis refervescit æstus, qui mox detumuisse videbatur. In

P. 7. his me solito tumore, & fastu Plagii incusare coram Eruditorum tribunali, & infaustis (nescio quibus) carminibus fascinare minitatur. Has insequuntur aliæ Belgicæ

P. 8, 9. scriptæ (& ab ipso Bidloo traductæ) à Bibliopola Amstelodamensi Londonensis, quarum summa hæc est.

Querela Professoris, quod nomen ejus in fronte libri nostri non prostaret. Querela ipsius Boom, quod Bibliopolæ nostri consilium suum illi non aperuissent novam per me moliendi Anatomiam Tabulis istis accommodandam, unde illi spem lucri ex libro Bidloano ulterioris præripuissent; venditione ejusdem hoc modo obstructâ. His addit,

Professorem

Professorem me graviter increpare, quod Tabulas addiderim suis novas (seu, ut ipse vult, suas novis onerassem) nec literis suis responderim.

Horum omnium reddetur ratio, cuius mox pudeat Professorem, & dici potuisse, & non potuisse refelli. Quippe cum (ut dictum est) ex unanimi eruditorum in Anglia suffragio didicissent Bibliopolæ Smith & Walford, Tabulas Anatomicas (Bidloi dictas) nitidas esse & elegantes, paucisque exceptis graphicè delineatas, descriptionem vero Bidloi propriam imperfectam & obscuram esse, mendisque & erroribus scatere, consilium ineunt de redimendo à Bibliopola Amstelodamensi certo exemplarium numero. Pro quibus cum inter eos convenisset, mecum agunt nostri de explicatione nova construenda sermone vernaculo. Cum autem observarent Tabulas magni passim æstimari, quæ verò Bidloi propria erat, descriptionem domi, & foras fordescere, ne istam eandem Anglicè redderem disertis verbis cavebant, sed ut de novo ex autopsia Anatomica ordirer, additâ conditione, quò faciliùs me fleti permitterem, quicquid omissum, aut erratum in ipsis Tabulis observarem, meipso indicante, & corrigente ad vivum delineatum, & ære incisum iri, nequid deesset, quo opus omnibus numeris absolutum redderetur. Hinc prodiit

prodidit Appendix noster continens novem Tabulas, quas Bidlous opus suum *onerare* dicit, quod errores ejus corrigendo detegant, quasque ideo omissas maluit. *Nomen autem & Iconem Bidloi paginâ Epigraphicâ* interdixere Bibliopolæ, ne ejus haberetur explicatio nostra, & sumptus periclitaretur. Vili adeo pendebantur hic labores ejus proprii.

Ne autem in lædendo æquo promptior viderer, rationem hanc Bibliopolarum subticere malui, quam provocanti Professori gravius quicquam & invidiosum aperire. Quum igitur in præcedente epistola, quam secundam ab eo acceperam, acriùs instaret, ut exemplar libri nostri ad se transmitteretur, quartumque se hoc urgere dicit, cuius nunc primùm ad me devenit notitia, Bibliopolas convenio, qui mihi retulerunt, se misisse exemplar unum Henrico Boom, quod eum Bidloo traditum, ratum duxi; quod evenit. Dehinc Bidloo literas dedi, in quibus operis rationem, additiones, & sententiarum nostrarum in multis diversitatem, summatim paucis & modestè exposui. Hanc eti-

P. 10, 11. am Epistolam in suam transtulit Clo-  
acam, & imprimi curavit, sed adeo immutatam, ut pro mea vix agnoscere audeam. Immutata autem, ut est, me fatis vindicat ab istius injuriis, & calumniis. Quippe, quas

quas occupant, Paginæ duxæ, solæ sunt per totum libellum, quæ modesti & ingenui hominis esse videntur, cæteræ insulsi & arrogantis manifesta produnt indicia. Quod autem de diversi coloris atramento, & alterius manu quinquaginta correctionibus addit, id omne fide Bidloana commen-tus est ; cui facile est, apud mihi ignotos alterius manum nostræ subrogare.

Cur autem priori, quam acceperam, epistolæ non responderim, scire si expertas, curiose Lector, quoniam inibi auxilium promittit suum, & inventa crepat ; id non factum est, quia dolo malo me-cum agi sentirem, & serò promitti, quæ dudum à me præstita cognoverit à cura Huttonii, nisi quæ-dam ridicula, quæ ipse janctanter interserit. Hoc autem artificio Iperaverat, ut sibi deberi videren-tur, quæcunque ipse addiderim. Cum autem aliter occupatus inanibus altercationibus non va-carem, commercium negligere decrevi, quod ne-cessariò in litem desitum præviderem. Quippe me cautum fecerat Clarissimi Ruyschii indignis excepti modis Fatum, & monuerat quam facilè moveatur bilis homini supercilioso, & turbulento.

At cum tandem provocatus (sæpiùs ut ipse a-it) modestè responderim, æstuat ira humanissimus

G

Pro-

Professor, amplius apud se non est. At quare<sup>2</sup>  
 Opus meum deprehendit Stultitiâ, Ignorantiâ,  
 Barbarie, Ineptiis, & Erroribus absurdis refertum,  
 ejus autem nomen non præfigitur, ipsum Autho-  
 rem non agnosco. Vide, Lector, quam mihi sit  
 propitius Vir celeberrimus. Nullus errorum me-  
 orum tam absurdus quem non adoptaret, nullus  
 laborum meorum tam futilis, quem pro sua in me  
 benevolentia sibi non ascisceret. Imò præ excessu  
 Urbanitatis & Benevolentiae mihi irascitur, excan-  
 descit, & pene rabidus fit, quod eum tantum vi-  
 rum, tantæ Eruditionis, tam puræ Latinitatis  
 nolim injustè Patronum Stultitiæ, Ignorantiæ, &  
 Barbariei meæ. Qui malim convitia & impre-  
 cationes Professoris sustinere, vocari

P. 13, 14,  
 15, 16, 17. *Latro in publicis viis, Alastor Pansophus,*  
*Fur, Argo oculatior Geryon, fraudulentus*  
*Tenebrio, Harpyia, &c. & Crucis aliisque Tormen-*  
*mentis damnari, quæ Viri Clarissimi intemperatus*  
*erga me meaque fuggerit amor, quam ut ipsum*  
*in se recipere sustineam, quicquid Ego Impudentiâ,*  
*Fraude, & Latrociniis deliquerim.*

O Professorem vere Christianum ! qui aliorum  
 demerita in se suscipere tam sollicitè ambit. At  
 forsan ficta hæc erga nos Pietas. Forsan non a-  
 deo sordebat illi labores nostri, ac eos vult videri.

ForSan

Forsani etiam propter lucrum imminutum, propter errores & omissiones suos plusquam septingentos calamo literulis modestè notatos, propter Inventorum & Appendicis non suorum ei non ultra oblatorum Famam & Opus nostrum mordet, & lacerat, nec tantum propter locum in Pagella Epigraphica sibi denegatum, quum ipsum librum contemptui habeat, adeo enormiter sævit & insanit. At de his, ut ut sint, Lectori liberum permittimus, & integrum judicium.

Quod autem inserit, de pacto inter Bibliopolas suum & nostros violato, id omne à re nostra alienum omnino est. At hic obiter non inopportunum duxi lectorem monere, Viros hos esse probos, eosque serio asserere, aliam sibi injectam conditionem non esse, nisi de pretio Tabularum, & non edenda Explicatione ulla Sermone Latino aut Gallico, in quibus se fidem liberasse meritò aiunt. An vero quicquam instituti sui Henrico Boom suboleret, se quidem nescire, at magni suâ interfuisse, ne Versionem operis Bidloani molirentur, quæ totis & Tabularum & Impressionis sumptibus damno futura fuerat. Quippe adeo universalis hic Linguae Latinæ peritia, quòd, nisi displicuisset Bidloï labor, supervacaneum fuisset, eum in linguam nostram transferre.

Exposui tandem simpliciter tibi totam operis nostri rationem & consilium tam Bibliopolæ, quam nostrum. Tibi causam deferimus nostram, Lector Benevole, tibi dijudicandum relinquimus, quis nostrum justius *Plagii* insimuletur. Bidlousne, qui alienas edidit Tabulas pro suis ne semel quidem prolato Authoris nomine, cum explicatione inepta quæ suas non esse evidenter demonstrat ; impossibile enim est ut non perfectè intelligeret, quas ipse designasset Tabulas ; an Ego, qui nunquam eas mihi asseruerim, & tam Bidloï ut Tabularum centum & quinq; priorum editoris & ipsius operis Bidloanî frequentiùs meminerim tam in Præfatione, quam in ipso opere nostro, & quæ mea erat, Explicationem Anglicanam illi tantum non inscriberem. Siquis autem de harum rerum veritate adhuc dubitet, conferat, velim, utrumque opus, Bidloanum & nostrum, & nullo se extricabit negotio.

Quæ sequuntur Animadversiones Criticæ Bidloï in opus nostrum, ejusdem sunt cum ipso ipsius opere cæteroque libello hoc farinæ, Ineptiarum scilicet & Errorum fastuosa, & prolixa farrago, in qua specimen Frontis, Ingenii & Peritiæ Anatomicæ simul ostendit. Has ideo silentio & contemptu

temptu merito excepisse, nisi fortè Cathedræ Leydensi parum detulisse viderer, si vel Hallucinationes & Absurditates Professoris sui eo usque despectui haberem. Illustri ergo Academiæ acceptum referat, quod eum ulteriori refutatione digner, quam tamen paucis ita absolvam, ut agnoscat quilibet, qualis Vir sit.

Postquam jam per paginas 17. integras pene defremuisset, & se, quā est modestiā, in eadem cum VERULAMIO, BOYLIO, NEWTONO, GASSENDO classe humiliiter collocasset, ad opus tandem se accingit. Ne autem à Mendacio proximè & immediatè inciperet, eorum quæ ipse in Tabulas ejus 1, 2, & 3. adverterim, in paginas 24, & 25. (seriei forsitan rumpendæ ergo) rejicit; à quibus tamen propter eandem causam ipsem et initium sumam.

Hic iterum occasionem mihi subministrat Cellerimus Professor gratulandi sibi, tam de *Ingenio*, quam de *Ingenuitate*, ut qui fœlicissimus sit Inventor Flosculi istius Rhetorici, qui tam bellè tinnit, *Onus O. G.* Velim quidem, uti Reptores terræ alicujus incognitæ solent, ut in rei memoriam nomen de nomine singat. Quod autem dicit, Primam figuram *Tab. I.* (quam mox hasce duas.

P. 24.

duas vocat) publicari & extare in libro cui titulus  
**ANATOMIA PER USO ET INTELLIGEN-**  
**ZA DEL DISEGNO, &c. PRÆPARATA SU'I**  
**CADAVERI, DAL DOTTOR BERNARDI-**  
**NO GENGA, REGIO ANATOMICO, &c.**  
 Id omne fide *Bidloanâ* dictum est, nec alia indiget  
 refutatione, quam ut conferatur iste Liber cum  
*Appendice nostro*, & (si cuiquam ita lubeat) uterq;  
 cum Archetypo memorato qui apud me domi est.  
 Quod autem addit de regulis proportionis corpo-  
 rum delineandorum ab *eodem* & ALBERTO DUL-  
 RÆO, LEONARDO DE VINCI, I. P. LO-  
 MAZZO MEDOLANENSI, &c. id mihi in  
 honorem, nisi ab hoc homine, dictum duxerim,  
 quanquam mihi nondum constat, an quicquam  
 nobis coincidat.

*Tab. IV. à qua observationes suas criticas orditur,*  
*Stratorum seu Laminularum Cuticulae existentiam ne-*  
*gat, quas quilibet Pharmacopolæ Servulus, qui Ve-*  
*sicam Epispastico excitatam vel semel secuerit,*  
*demonstrare potuit, & Loculos Membranaceos, quos*  
*ostendere ne Anatomiam quidem Lanioniam supe-*  
*rat, & quodlibet Macellum aspectui quotidie pa-*  
*lam exhibet in Vitulis aliisque animalibus. O E-*  
*gregium Anatomicum! O Professorem celeberrimum!*  
*qui ne Limen quidem Anatomiae salutaverit rudium*

*Pharma-*

*Pharmacopolarum & Laniorum* ministris pueris familiare. Hæc autem documento esse possunt, quanta ab hoc homine Miracula, qualia inventa expectanda sunt.

At ne aliter de eo concipias, Lector Ingenue, ac est, *Tab. V. Fig. 1.* pergit sui specimen ostendere, & queritur me explicare Literas *E E Os* *Frontis & Bregmatis*, quas ille *Expansionem Periostii* denotare, erroris sui tenax asserit; quum tamen *Periostii* illic nihil compareat, nec quicquam aliud nisi *Os Frontis & Bregmatis denudatum*. Huic Figuræ unicam addideram *Literulam*, scil. I, quæ *Arteriolam & Nervi ramulum* è *Cranio* exeuntes in *Musculum Frontale* designat quorum utriusque, quamquam luculenter in Figura expressi notitia illum fugerat; quæque me ideo solum notasse dicit, ut de Aneurismate in ea parte dicendi mihi fieret occasio, quasi Arteria & Nervus iste notatu alias indigni essent. At se fallit Professor, nec Aneurismatis solius gratiâ, sed & propter se notata sunt hæc Vascula, ut ejus omissiones supplerem, quamquam nec Aneurisma istud, ut Casum, qui neque familiaris, neque contemnendus esset, memoratu indignum duxerim.

In Figura ejusdem Tabulæ 2. quatuor etiam Literas adnotavi, quarum priores duas *Duræ Matris Vasa sanguifera* E, & Duræ Matris partem Suturæ Coronali contiguam F absque censura transit. At tertiam G G, quæ Venas Cerebri in *Duplicatura Piæ Matris*, *antequam Sinum Longitudinalem ingrediatur*, ostendit, graviter reprehendit, asserens Venas in *Cerebro propriè loquendo non dari*, quanquam hæc Figura eas Venas optimè exprimit, & iisdem exprimendis peculiariter designari videtur. Sin Professori contigerit Cerebrum sine Venis, id monstrum ei non invideo, de cæteris omnibus securus ea Venas habere. Quod autem *margines Cranii* H H notaverim, id ei superfluum videtur, quanquam ipsemet *Tab. VI Fig. 1.* *Tab. VII. Fig. 1.* & *2.* & *Tab. IX. Fig. 3.* idem faciat. In his verò perspicuitatis gratia, & perplexitatis vitandæ ergo diversas partes iisdem literulis notavit, ut in *Tab. VII. Fig. 2.* ubi E E designat *Margines Cranii*, & ipsum etiam *Pericranium revolutum*.

Quod autem *Tab. VI.* me res aliter ab ipso explicasse queritur, id temerè & inconsultò factum non est, quippe idem factitare sæpius, imò ubique coactus sum. At hic quidem, sicubi alias, non absque necessitate factum est. Hic enim manifesta

festa prodit indicia se non intellexisse Tabulas, quas vocat suas. Quippe *Cerebellum dura Matre velatum*, quod ego I notavi, non agnoscit, sed pro *duplicaturæ duræ Matris parte aliqua erranter accipit*, & ex-euntem è *Foramine magno Ossis Occipitis Medullam Oblongatam*, quanquam in ista Tabula graphice delineatam & à me Litera H notatam *eo loci apparere* denegat. Quos errores monitus non corrigit, sive id ex Fastu, sive ex alia causa, quæ illum à peccato excuset, contingat, nisi forsan densæ Soli natalis nebulæ oculorum & mentis aciem Professori retuderint.

*Fig. 3.* me reprehendit, quod quæ ille *Vasa sanguifera* nuncupaverat, in *sinum patentia*, Ipse *Venas Cerebri priusquam Sinum intrent explicem*. Quod si mihi deesset hujus rei ratio satis firma, Ipse mihi strenuam suppeditat Professor in suis ad Tabulam præcedentem notis. Cum enim hic loci vocabulo communi utitur (scil. *Vasa sanguifera*) de *Arteriis* solis intelligendus est ; *Venas* enim *Cerebro* negat. Sin nunquam negasset, rectè ego *Venas* dixissem, ad tollendam vocis ambiguitatem, quæ indifferenter pro *Arteriis*, (quæ in *sinum nullæ hiant*) aut *Venis* accipi posset atque ita Tyrones in errorem ducere. Quæ sequuntur ejusdem Tabulæ Figuræ tres à Natura prorsus ali-

enæ, easque ideo totas cum explicandi munere  
Bidloo soli in posterum permittemus.

Pergit autem me reprehendere, & ait ; *Septima Tabula duas complectitur Figuras, quarum primæ literas G & H conjungit ; et si prior, matre durâ apertâ, cerebelli faciem ; altera limbum ejus, medullæ oblongatæ viam præbentem ad inferiora, delineat, vertitque.* Hic sibi reclamantem Professorem audire est, & errores proprios corrigere satagentem, absque tamen nota quacunque censoria pro ea qua Celeberrimum Professorem colit indulgentia. In priore enim explicatione asserit *G Cerebelli latus alterum Dura Matre velatum ostendere* ; in hac autem Duram Matrem apertam esse ad *G usque ad limbum H*. In utraque autem crassè hallucinatur, adeo Professori humanum est errare. Cerebrum enim in hac Figura anteriùs reclinatum satis non est ut apparet Limbus, neque ipse eo usque procedit, ut Medullam oblongatam attingat, sed superiùs definit, antequam Processus Cerebelli Medullares Caudici Medullari committantur. Quod autem mihi exprobret, me in explicandis literis III illum non sequi, id mihi in honorem duco. Quippe ubi errandi locus non dabatur, ille subjectum extendit, & pro *Marginibus Ossis Occipitis*, quæ solæ hic apparent, totum supponit *Cranium*, ut etiam

etiam ineptiendi daretur. Quas ergo ille simplici  
I *Dissecti Cranii partes* vocat, ego pro Marginibus  
Ossis Occipitis triplici literula notavi, ut ad exhibitæ  
partis descriptionem proprius accederem, quam per  
vocabula ejus generalia & ambigua.

Ne autem aliquando non errasse videatur, suc-  
censet mihi, quod Cerebellum anteriùs versus  
*Sellam Turcicam* reclinari dixerim, quod ille *in situ*  
*naturali capite inverso* expressum affirmasset, & ne  
hoc non sufficiat ad demonstrandam Peritiam su-  
am Anatomicam, & cum his Figuris, quas pro  
suis vendicat familiaritatem peculiarem, *Processum*  
*Cerebelli vermiformem* luculenter expressum, & à  
me literula (b) notatum, *eo loco visibilem esse* negat.  
Obsecro tamen, Egregie Professor, ne te vidisse  
nega, literulam designantem vidisti, partem desi-  
gnatam literula vigesies majorem & nitidiùs ex-  
cusam teipso Schema exhibente non vides. Cave  
oculos hebetudinis incuses, ne quis inde intellectum  
ejusdem redarguat. Quin potius rejicis ad nugas  
istas Pictorias, Nervos Octavi, Noni, Decimi,  
& Accessorii Paris, &c. quas ad Operis eleganti-  
am tibi inobservatas addidit Pictor. An verò tibi  
persuasum habes, Nervorum parium trium origi-  
nes, cum Accessorio & cæteris partibus in illa Fi-  
gura expressis nugas esse omnino negligendas præ-

tua inani præfatiuncula, quod tam fortiter queraris me istas notasse, hanc autem prætermisſe? Atqui ideo hanc & hujusmodi omnes ex consulto prætermisi, quòd tuas esse agnoverim, & solas præter errores in hoc opere tuas dici posse; & institutum erat nostrum Figuras explicare, quod conatu tuo non obſtante deſiderabatur, non ineptias tuas per omnia perſequi. Cur autem me ad Præfatiunculam revoceſ, non liquet, niſi ut advertam te Oratorem æque infelicem eſſe ac Anatomicum, & ubique extra locum deſipere.

*Tab. VIII. Fig. 1.* Quod notaverim ſub litera C deesse *Sinum Falcis Inferiorem*, Bilis ei turget, quamquam & ipſe idem faſſus eſt. Deesse tamen revera aliquando Subjectis humanis Sinum iſtum innuit; quali quidem mihi nunquam viſo ſi ſuſpecta fides ejus habeatur mihi, qui & experientiam & peritiam Anatomicam ad hujusmodi obſervationes faciendas non injuriā in illo requiro, Lectori mirum non videbitur. Ineptas ad cæteras figuras cavillationes uſque ad quintam, non moror, utpote quæ niſi queſtum puerilem & inuſtum nihil continent. Hic autem excandescit, quaſi inventum ejus, in quo gloriatur, ſupprimerem, invidè occultando novam ejus, de tertia Cerebri Membrana, deſcriptionem. Quot mihi occaſiones ſubministrat facundissimus, ſimul &

& sagacissimus Professor gratulandi sibi tam de Inventorum fœlicitate, quam de Sermonis puritate & nitore. Hic nos invitat, ut olim Fœcialis ad ludos Seculares, ad videndam Membranam, quam nemo mortalium vidiit unquam, neq; visurus est ; & *descriptionem de Membrana*, tali elegantia concinnatam, qualem Prilcianus agnovit nunquam, neque agniturus est. Liceat autem, pace Viri Doctissimi, profiteri ingenuè, me illi neque Inventum neque Latinitatem quam curta cunque mihi sit supellex, invidere, cum utrumque sui proprium sit, & nuspiciam nisi in Cerebro & Operibus Professoris existat. An vero hebescant grandiloqui hujus Homunculi Oculi an Intellectus, quod monitus non agnoscat Duram Matrem, tam graphicè in hac Figura delineatam super Cerebellum, Lectori æquo dijudicandum relinquimus.

In *Tab. IX. Fig. 1.* multa sunt à Natura non parum abhorrentia, quæ tamen omnia Bidious pro suo more *typum naturalem ad amissim æmulari* dicit. Neque enim notantur *Protuberantiae duæ albæ sole* ut non bene expressæ, quanquam in molem istæ excreverint portentosam. *Iplum etiam Infundibulum E* adhuc magis vitiosè exprimitur, & justam mensuram non minùs excedit. *Nervos autem Olfactorios R Q S* ut corpora *Cylindrica* exhibet hæc Figura,

Figura, qui tamen *Plani* semper reperiuntur in Subjecto humano, & ad Basin latiores. Arteriarum item *Vertebralium* & *Carotidum* Rami coeuntes P P P in figura realibus ampliores pinguntur. Ut tamen errores hujusmodi cæteros taceamus, quos, ne iniqui simus, Bidloi non esse fatendum est ; quippe cui ne visi quidem fuerint ; rerum suarum plusquam satagit Professor. Tantas enim inter Nervos turbas concivere ejus explicaciones, quantas haud quisquam facile componet. Nomina, Munera, Numerum, Situm, confudit, auxit, mutavit. Vix quicquam suo loco, nomine, aut officio fruitur. Præter decem Nervorum paria intra Cranium oriunda, altera duo superfœtavit paria, & intra Cranium duodecim paria numerat, inter quæ par Intercostale Octavum sortitur locum, de quo in *Basi Cerebri* invento, iterum Professori gratulor, nec Inventionis fœlicitatem aut honorem illi invideo. Ne autem Professori Celeberrimo injurius esse videar, quod utcunque lassitus studiosè semper evitavi, ingenuè fateor & hos errores non omnes tam ejus proprios, quam Designatoris aut Delineatoris esse, qui præter naturam plures, quam è *Basi Cerebri* revera oriuntur, nervos apposuerat Iconi. Quem explicaturus Vir Doctissimus, cum non satis perspectum haberet hoc figuræ vitium, illique incumberet quæ alibi

alibi omiserat reddere, neque tamen exemplò occurrerent tot nervorum illustrium Nomina, quot in Figura distinctæ imagines, nequid ignorasse videretur, in auxilium accersit Truncum Nervorum Intercostalem, quo digniorem nullum inventiret, qui immediatè è Cerebro duceret originem, duceret necne. Ejusdem Tabulæ Fig. 2. ad F delineatur Vena, (qualem ipsem et eo loci è Crano exeuntem plus semel observavi) quam ille pronervis Olfactoriis agnoscit, notatque in explicazione sua Latina. In hunc errorem, qui explicantis proprius erat, adverteram, non quod illi ignorantiam exprobrarem suam, quamvis crassam & reprehensione dignam, sed ut Tyrone ab errore revocarem, quo ille duceret. Ille vero, levissimam reprehensionis umbram indignatus, neque linguam Anglicanam satis callens, errorem sustinendo Constantiae laudem ambit. Unde ex dupli errori Anatomico, & Grammatico nascitur Apologia plus satis ridicula. Verba ipsius sunt, Pag. 20.  
*Fig. 2. ad literam F, ait, me vasa sanguifera notare loco nervorum olfactoriorum; cum è contrario, eos acicula depresso, in transitu tantum demonstrem deque vas sanguiferis, ne verbum quidem proferam.* At qui hoc ipsum erat, quod notaveram; Vas Sanguiferum ibi expressum erat, cui in explicatione sufficerat Professor Nervos Olfactorios, qui neq;  
eo

eo loci, neque ea facie utrumque depresso unquam apparuerunt. Hic autem Sermonis *Anglicani Battavo* ignoscenda videtur Ignorantia, *Anatomiae Professori* ejus Artis haudquaquam. At nequa desit Peritiæ hujus inscrutabilis exemplum aliquod illustre, errore forsan pictorio, ni ille suum malit, (Fig. 3.) litera O à sinistra in Nervum septimæ Conjugationis locatur, eadem à dextra Nervum quinti paris occupat. Pro sua tamen humanitate nullum hic admissum errorem, nullum discrimen advertit inclitus Professor, sed utrumque O O Nervos Auditorios explicat. Forsan & Par quintum pro Auditorio habet.

In Tabula decima Clementiæ specimen exhibet, & in me nihil regerit, forte gratiam relatus, quod in illa Tabula eum non ultra duodecies castigaverim. Eandem etiam Undecimæ porrecturus erat gratiam, cum forte occurreret *Ægilopis* & *Fistulæ lachrymalis* mentio, unde subito excandescit Professor, cui semper invisum Chirurgicum quocunque. Hic etiam pro more suo *Perfidiam* seu *Inscitiam* meam increpat Humanissimus simul & Eruditissimus Professor. Quam tamen opprobrii tam gravis occasionem dederim, mihi non satis liquet, perplexam adeo accusationem suam reddidit. Seu, quod immediatè sequitur in Pagina,

illi

illi *Perfidus*, & *Ignarus*, propter *Ægilopis* & *Fitulæ lachrymalis* mentionem injectam ; quia forsan credat ejusmodi morbos nulos unquam extitisse, aut mihi unquam visos fuisse. Seu, quod remotius est, quòd ejusdem Tabulæ Fig. 23, 24. *Oculi humores Crystallinum, & Vitreum exsiccatos* exhibere dixeram. Hic se comiter demulcens præfato sibi honore Verecundissimus Professor Lectorem monet, quantum sibi debeat, & ita magnificè orditur, (Pag. 21.) Ego Lectorem instruo.

*Quid tanto dignum feret hic Professor hiatu?*

Scilicet ea, quæ possunt liquari, non possunt exsiccari. O Egregium Philolophum ! O Doctrinam Cathedra verè dignam ! Res quidem hæc notatu vix digna videretur, nisi ut Lectori planiùs innotescat, qua fide mecum agitur, qua *Perfidia Perfidus vocor*, qua *Ignorantia Ignarus*. Audierat Professor Humores Oculi Crystallinum & Vitreum aeri expositos liquefcere. Hinc ratus me corripiendi occasionem sibi dari, avidè eam amplectitur, & incautus quò ruat, *Perfidiam & Ignorantiam* inclamat, in utramq; proprium caput allisurus. Quippe ignarus, id adhuc ambigi inter Anatomicos, an Tunicae Humorum *Cristallini* & *Vitrei Aranea*, & *Hyaloeides* dictæ reverà existant,

istant, an sint tantum reliquiae eorum Humorum exsiccatorum pro Membranis falsò à quibusdam habitæ, quod ego cautè proposueram, ille quasi perfide aut ignoranter factum stulte exprobat. Ne autem fraus aliqua non fieret, quanquam cur fieret h̄ic loci ratio illi nulla adesset, nisi quod moris erat, utriusque explicationis Membrum obtruncat alterum. Integra sic se habet utraque Explicatio, Fig. 23. *Humor Crystallinus siccatus*, quem Bidlous Anatomicorum quorundam fidem secutus, Membranam Araneam seu Cristalloidem vocat. Fig. 24. *Humor Vitreus siccatus*: eâ tantum parte relictâ quæ pro Membrana investiente à quibusdam habetur. Hic autem, det modò Lector veniam, eum hoc Instructionis onere exfolvam, & vice versâ Professorem instruam. Sciat, igitur velim, Vir Celeberrimus, hos humores, quanquam in aere liquefiant, cum id neque prompte, neque ex toto fiat, ex parte tantum resolubiles esse, quorum aliquid semper exarescat. Hoc illi, si membranam nuncupare libet, per me licet. Quippe, ubi in re obscura Doctiores secutus errat, ignoscendus mihi videtur; at quanquam error veniam, arrogantia castigationem meruit. In me verò, quod mallem sententiam meam aliquo modo premere, & innuendo significare, nequid in re vix satis manifesta audacter & dogmaticum nimis proferre viderer,

viderer, furibundus involat Professor, eruditionem & urbanitatem ambitiose adeò ostentans, ut etiam Lectorem æque ac me Ignarum vult, ne desit *instruendi* occasio. Hæc autem Instructio, quam tantopere crepat, ex parte vulgaris est, ex parte fallax. Humores enim hos sensim liquari Tyronibus notum est. Quid enim mirum si Corpora pene fluida, viscida, aquea, multo Sale imprægnata, in aere tandem diffuant? Quippe, Salibus aeris commercio solutis laxatur Corporis vinculum & compages, unde liberiores factæ partes leviores & subtiliores facile avolant, relieto tamen semper crassamento, quod non immēritò humor exsiccatus dici potest. Ut autem ita accipi possent explicationes nostræ, ac si humores integri exsiccarentur neque mole imminuti, neque forma mutati, altero membro truncatas reddidit. Quo autem dictis firmetur fides, & fiducia simul & eruditionis species ostentetur, ad Anatomicos universim omnes provocat; quanquam Sententiae nostræ Authorem in ipsis explicationibus nostris nominatim citaveram. Hic igitur in aciem rursus producendus, qui quanto in cæteris Vir cordatior, tanto etiam in his rebus oculatior & versatior. In sua *Ophthalmographiæ Capite tertio* Celeberrimus Dominus Dr. Briggs harum Membranarum, quas Fig. 23, & 24. designari vult Professor, existenti-

am negat, dicens alteram nusquam reperiri, alteram esse pelliculam tantum adventitiam humore aeri diutius exposito lentè concrecente, in hæc verba. *Hyaloides interim seu Vitrea nulla reperitur, nec sane Humor Crystallinus, nisi aeri diutius expositus, vel leniter coctus (instar Laetis) cuticulam acquirit; quæ verò impropre tunica aranea dicitur, cum sit tantum adventitia, ut in Oculo Bovis recens execto appareat.* Utrobi vero Ignorantia vel Fallacia (seu eam *Perfidiam* gloriose magis appellare velit Professor) criminis sit danda Lectoris ingenui esto Judicium.

Nescio, Lector tolerantissime, an tibi dudum prolixior non videar. Hujusmodi enim bellaria citò fastidium pariunt. Restant tamen plusquam septingenta ejusdem Farinæ Fercula, quæ tibi ideo non apponam, quòd plura, quam quæ ad satiatem sufficient, jam me apposuisse verear. Sin his dapibus unicam addere patellam mihi liceat, Professori ad gratiam dabitur, in qua neque delectus, neque cultus eminebit. Quod autem occasio improvisa porrigit, in bonam accipiat partem Vir Celeberrimus velim. Nam ut non solum omnia scivisse, credo, sic nec omnia penitus ignorasse contra plurium opinionem demonstrandum hic suscepi.

Quanquam

Quanquam autem illustriora multò, si delectum haberem, exempla suppeditat grande Professoris opus, ne cui iniquior videar, hinc obsequii inde simultatis suspectus, quam mihi præsentes Tabulæ ministrant occasionem, ut ut minus quam aliæ multæ opportunam, eò lubentiùs arripio quod forte oblata, non studiose quæsita sit. Harum prima cum Figura prima Quadragesimæ octavæ Tabularum, quas suas *Bidlous* vocat, in plerisq; convenit. Hanc igitur ita notavi, ut quas partes priùs in sua Figura literulis notaverat Professor, iisdem illæ etiam in nostra conspiciantur ; quo Peritia Anatomica Professoris extra litem collocetur. Quam ergo iniqui sint Professori, qui ei omnem scientiam Anatomicam denegant, vel ex hac ipsa Figura liquet. Quippe ex adnotatis ab eo literis constat eum agnovisse *Vesicam Urinariam* F. *Glandem Penis* E. *Ureteres* G. *Vasa Deferentia* H. *Vesiculos Seminales* I. Hæ autem sunt partes in hac Figura maxime conspicuæ & principes, quas novisse penitus ignorantis omnia non est.

Neque est cur tantopere exultent homines malevoli, invento uno atque altero Professoris errore aut omissione. Ut ex pede *Herculem* metiamur, quæ hujus Figuræ explicationibus exprobrantur proferam,

proferam, ut, quam levia sint, quam nullius momenti, Lector æquus dijudicet; & quicquid aut incuriâ, aut communi Naturæ humanæ vitio, quæ nos erroribus immunes esse non vult, peccatum est, eis omnibus veniam indulgeat. Quisquis hoc Schema delineandum exhibuit *Præputii retracti portionem* literâ B notavit. Hanc Professor ita explicuit. *Obsepitur unumquodque Membranâ exterius densâ, atque firmissimâ.* Hinc Nugatores illi, qui ludere solent in rebus seriis, cachinnum tollunt. Aiunt enim *Præputium* neque esse totius Penis involucrum, neque *Membranam densam atque firmissimam*, sed ex *Cute laxa & molli* constare. Esto. An tanti est de *Præputio* levis error, quo toto carere possunt absque incommodo gentes universæ quamplurimæ? Neque majoris momenti illud, quod quidam objectant de *Urethræ loco perperam assignato.* Alligantur (inquit Celeberrimus Professor) modò dicta *Corpora relicta pro Urethra interstitio G.* Ita tamen forte accidit, ut litera G. Venam Penis magnam notet, quam pro *Urethra* casu quidem sinistro habet Vir doctissimus, unde hi homines, qui omnia sibi pro ludibrio habent, in risum solvuntur. *Septum* autem quod ad D ostendere laborat Professor, eo loci apparere omnino negant. Hos & hujusmodi errores Professori passim vitio vertunt. At quid tandem si *Septum omnino*

omnino nullum existeret, si Urethræ non meminisset? An qui ex eo didicissent Vesicam Urinariam esse Urinæ receptaculum, non facile vel ex conjectura sola obsequerentur dari eidem Urinæ exitum? Omissiones quod attinet, sive eas Incuria peperit, sive notatu indignas duxerit Professor, cuilibet causæ potius imputandæ videntur, quam Ignorantiae, quam fateri Virum Cathedralem summè dedecret. Partium in hac Figura expressarum quæ nullâ notâ à Professore insigniuntur, præcipuae sunt hæ, *Arteriæ* à me notatæ N N, *Venæ* M M, *Nervi* O O. Quæ animo utcunque exciderint Professori, oculorum aciem effugisse vix est credibile, cum acu & ligatura omnes insigniantur.

Hæc & hujusmodi alia plura quam septingenta Professori exprobrare quidam solent; quorum ideo Catalogum subjunxi, ut appareat quam iniqui sint in Virum bene meritum, qui tam levia objectare sustinuerint.

CATALOGVS eorum quæ in Tabulis,  
quas suas vocat Celeberrimus Bidlous,  
aut non omnino, aut perperam notavit.

- Tab. 1. ΔΔ, \*\*  
 4. Fig. 6. F F.  
 5. Fig. 1. I, Fig. 2. E, F, GGG, HH.  
 6. Fig. 2. H, I, Fig. 4. H.  
 7. Fig. 2. aa, b, FF, G, H.  
 8. Fig. 4. EE, FF, GG.  
 9. Fig. 1. \*\* Fig. 3. gg, M, R, Q.  
 10. Fig. 1. aa, ff, f, Fig. 4. EEE, FFF.  
 ib. Fig. 7. D, Fig. 8. A, BB, CC, D, E, FF.  
 11. Fig. 8. D, Fig. 7. \*  
 12. Fig. 4. DD, E, F, G, H, I, Fig. 5. L, R, S.  
 13. Fig. 1. M.  
 14. Fig. 1. P, Q, R, S, T, t, V, W, XX.  
 ib. Fig. 3. GH, II, KK, LL, Fig. 4. EE, F.  
 15. Fig. 1. K, L, MM, N, O, P, Q, Fig.  
 2. M, N, O, P, Q, R, S, T, V, W.  
 16. eee, fft, K, L, M, N.  
 17. II, KK, L, O, PP, QQ.  
 18. MM, O, PP.  
 20. NN, OO, P, Q.  
 21. HH.

- Tab. 22. *Fig. 1.* D, E, F, G, H, †, *Fig. 2.* D, E, eee, F, G, *Fig. 3.* o, ee, *Fig. 6.* AA, *Fig. 7.* D, d, ee, ff, gg, *Fig. 8.* D, E, fff, *Fig. 9.* C.
24. *Fig. 1.* bbb, GG, H, *Fig. 2.* B, C, 3. C, 5. F, 6. o, R, S, *Fig. 7.* GG.
26. *Fig. 1.* b, EE, FF, ff, G, HH, I, K, k, LL, M.
27. P, Q, R, S.
28. l, S, T, V, W, X, Y, Z, †.
29. N, O, P, Q, R, S, T, V, W, XXX, Y, ZZ.
30. n n, OO, P, Q, RR, S, T, V.
33. KKKK.
34. *Fig. 5.* D, E, F, G, H.
35. *Fig. 8.* D, E.
36. *Fig. 1.* oooo, PP, Q, R, S.
37. *Fig. 1.* G, *Fig. 2.* B, C, D, E, F, P.
39. *Fig. 1.* D, E, II, *Fig. 6.* E, F, G.
40. *Fig. 1.* C, cc, *Fig. 2.* EE, F, G, H, I.
41. S, T, V, W.
42. 1, 2, 2. XX, ††, K, L, M, NN, O, P, Q.
43. *Fig. 1.* C, D, E, *Fig. 3.* D, E, F, *ib. 4.* D, d, EE, ee.
44. *Fig. 2.* LL, M.
45. *Fig. 1.* H, h, K, L, *Fig. 2.* K, L, M.
46. *Fig. 1.* I, K.
47. *Fig. 1.* aa, KK, L, M, N, OO, P, Q,  
*Fig. 2.* H. K Tab.

- Tab. 48. Fig. 1. b, LL, M, NN, OO, PP, QQ.  
 49. L, MM, N.  
 50. a, b, mm, nnnn, WW, XXX.  
 51. Fig. 1. CC, H, Fig. 3. G.  
 52. N.  
 53. Fig. 1. C, E, FF, GG, HH, I, KK, L,  
     Fig. 4. II, KK.  
 54. d d.  
 57. Fig. 7. H.  
 63. Fig. 1. X, a, b, c, d d, e, f.  
 64. Fig. 8. Q, RRR, S, T, T, VV, W, X, Y, Z.  
 65. f, GG, H, II, KK, LL, M, N, O.  
 66. HH, II, KK, LL, M, N, O, +  
 67. OO, P, QQ, RR, SS, TT, VV,  
     W, X, Y, Z, \*, +, †  
 68. Q, R, S, T, V, W, X.  
 69. MM, N, O, P, Q, R, S.  
 70. GG, HH, I, k, L, M, N, OO, P, QQ, R, S.  
 71. OO, P, Q, R, Q, R, S, T, VVV.  
 72. H, II, K, L, M, N, OO, P, Q, R, S.  
 73. K, L, M, N, O.  
 74. k, l, m, N, O, P, Q, R.  
 75. KK, L, M, N.  
 76. L, M, N, O, P, Q.  
 77. FF, GG, HH, II, KK, L, M, N, O, PP.  
 78. G, HH, II.  
 79. bb, EE, F, G, H.

Tab.

- Tab. 81. M, N, O, P, Q, R, S, T.  
 82. e, H, M, NNN, O, P, Q, R, S.  
 83. KK, LL, M, N, O, P, Q.  
 84. g, L, M, N.  
 86. *Fig. 1.* G, H, I, K, L, M, N, *Fig. 2.* F,  
     G, *Fig. 3.* E.  
 88. n.  
 89. *Fig. 2.* LL, MM, N, OO, P, Q, R.  
 90. *Fig. 3.* E, *ib.* 5. F, G, H, *ib.* b, C, d,  
     *ib.* 7. D, *ib.* 9. --- D.  
 92. *Fig. 1.* G, H, I, K, L, M, *Fig. 2.* h h,  
     TT, V, W, XX, Y, ZZ.  
 93. *Fig. 1.* CC, DD, 2. CC, D, 3. BB,  
     4. B, CC, DD, E, *Fig. 5.* C, 7. D, E, 8. D.  
 94. *Fig. 3.* A, B, C, 4. A, B.  
 96. *Fig. 3.* G, 4. G, 5. E, F.  
 97. *Fig. 2.* \*  
 98. *Fig. 1.* E, F, GG, HH, I, L, kk, 2. E.  
 99. *Fig. 1.* I, 2. F, G, H, I, K, L.  
 103. *Fig. 1.* F, 2. B, F, GG.  
 104. *Fig. 3.* \*, 2. AA, D, E, F.

Quanquam tenuitati nostræ indulgeri venia & potuit & debuit, si supra memoratis beneficiis, quibus ex nimia sua abundantia me onerat Professor, nihil omnino retulisse. Quoniam tamen, per quos profeceris fateri, ingenui, & quæ possis retribuere, grati hominis est, utroque officio pro supellectilis nostræ ratione paucis hisce pagellis defungi conatus sum. Et quoniam esse Professori indolem singularem quidem, at in quibusdam non pœnitendam advertebam, modò cultura & castigatio tempestivè adhibeantur, quæ eum ad frugem non malam tandem perductura videntur ita exponam, ut si me pro amico, inter sinceros habeat, si pro adversario, inter ingenuos.

Cum ergo Sors eum Anatomiam profiteri coegerit, in quam olim electio propria impegerit, & fato præcipitante eam Artem priùs doceat, quam didicerit, quod unicum superest huic malo remedium, indigitabo. Priùs ergo fastum ponat, & ea discere non pœniteat quæ ignorare pudeat. Huic rei ne asymbolus esset, præcedentem Catalogum dedi, in quo ut in Speculo septingentos conspiciat errores & omissiones, & qui corigantur, quos ut serio meditetur è re sua esse comperiet. Nam qui errorem defendit, eum ingeminat, qui agnoscit,

scit, pene delet. Quo autem in futurum ab hismodi delictis caveat, occasionem amplissimam præbet opportuna *Celeberrimi Frederici Ruischii* vicinia, quam si amplectatur, & se præceptis & monitis ejus fideliter erudiendum tradat, spem de se faciet fore tandem aliquando, ut sub tanto magistro in secundis Cadaveribus exercitatus, & in Tabulis aliorum Anatomicis explicandis monitus & instructus, rei Anatomicæ non omnino imperitus haud absurdas habeat ad Tyrone's Prælectiones.

Hoc autem ut sibi semper præcipuum ducat, imprimis moneo; nequid edat in posterum inconsulto prædicto Viro Clarissimo, cuius in rebus Anatomicis spectata fides & Peritia errorum nubem dissipet, & sagax Industria contra probrosam omissionum turbam præcaveat. Siquid enim *Swammerdami* Scrinia, seu alterius cuiuspiam suppeditant, id rectius & perfectius explicare, quam olim solitus est, cum minore famæ jactura discet Professor, quam si pro more hallucinetur. Et si Authoris veri nomen inscribendo reticere dedignetur, non minus sibi honoris accedet ingenuitatis laude, quam ipsi operi pretii ex Authoris cuiusvis alterius celebritate.

Sin Professori posthac ab alienis ad sua divertere  
lubeat magis, id sibi sacrum habeat, oportet, ne  
*Citationes* aut ejusmodi quicquam scribat, quo  
quenquam lacescat aut provocet. Quippe Artis  
Periti ab Imperitis reprehendi ægre ferunt, & pro  
injustis calumniis justa opprobria retorquere solent,  
quod hactenus Professori damno fuit.

Id etiam ut obiter moneam, sunt qui eum *Bel-*  
*gicè* scripturum rectius arbitrantur. *Prisciani* e-  
nīm Cultores, eum continuò alternis quibusq; lineis  
fusce dedolari, haud æquis accipiunt animis, & se  
mutuum reddituros minitantur.

Sin latine scribendi consilium sit irrevocabile, ut  
styli subjecto aptaret, ei lubenter author essem,  
neque ut Poeta historiam philosophicam aggredi-  
atur. Nam quæ vere & libere philosophantem  
sola decet, simplex & incomposita oratio à Poe-  
sios genio maxime abhorret, quæ artificiose pro-  
ductis ambagibus, fictisque Metaphoris gaudens  
in perpetua fere Hyperbola versatur. Hac labe  
tactum Professori Cerebrum dudum observavi, &  
ex ipsa styli *Leucophlegmatia* cum repetito *Helleboro*  
indigere deprehendi. Sin inveterata & insanabilis  
non sit hæc loquendi *Cachexia*, quæ ad sanitatem  
videtur

videtur ductura, methodum præscribam. Impri-  
mis omne cum Poetis commercium studiose evi-  
tet. Ex iis enim perperam intellectis ineptâ æmu-  
latione Magniloquentiæ hoc vitium contraxit, ut  
sine Hyperbola ne levissimum & vulgatissimum  
quicquam effutire queat. Hinc ex materiæ vilitate  
perit gratia poetica, ex sermonis apparatu & tu-  
more fides & simplicitas philosophica. Deinde  
rem magis quam verba curare velim, & de ornatu  
quam de veritate narrationis minùs solicitum esse,  
& præ cæteris cavere ne res humiles & vulgares  
sublimi & fastigiata oratione elevare laboret.

Aliud etiam Professori vitio vertitur, quod se-  
nimiis celebret præconiis, & inventa ubique cre-  
pet, quæ nusquam apparent, cum alia eorum sint  
figmenta errore prognata, alia dudum Anatomi-  
cis familiaria & soli Professori pro novis habita.  
Hoc autem malum ex parte sublatum erit, cum  
Vaniloquentiam primùm dedidicerit, & tam de  
aliis honestè loqui, quam de se modestè sentire in-  
ceperit, neque si cum *Gassendo*, *Harvæo*, *Cartesio*,  
*Boylio*, *Newtono*, priùs collocarit, quam alii eum  
tali confessu dignum judicarint. Cæteram quod  
attinet curationem eam ex bonorum librorum le-  
ctura diligenti facilè assequetur. Nam ubi, quid  
ab aliis sit factum, didicerit probe, quid à se sit  
faciendum, haud difficulter cognoscet. De-

Denique si se doctis & fidelibus præceptoribus tradat *Anatomia Grammatica*, & *Morali* erudendum ; donec & se & alios & artes melius norit, & à scribendis libris abstineat, donec eos attigerit annos, in quibus Prudentia ardorem restinguat juvenilem, Ipes erit eum tandem ad sanam mentem perductum iri, crepundia abjecturum, & se ut ingenuum, sobrium, & literarum non omnino rudem decet, gesturum. De quo nemo amicorum magis serio & cordate illi gratulabitur, quam Ego.

---

F I N I S.

---

